Fragmentarium

[illegible] in condempnatione. Gratia autem ex multis
1 delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum. multo
magis habundantiam gratie et donationis et iustitie accipientes in vita
regnabunt per unum iesum christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines
in condempnationem: sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem
vite. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt
multi. ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi. Lex vero subin
travit. ut habundaret delictum. Ubi autem habundavit delictum: super
habundavit et gratia. ut sicut regnavit peccatum in mortem. ita et gratia
regnet per iustitiam in vitam eternam per iesum christum dominum nostrum. Quid ergo
dicemus permanebimus in delicto ut gratia superhabundet? Absit. Si enim
mortui sumus peccato quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis quia
quicumque baptizati sumus in christo iesu. in morte ipsius baptizati sumus
Consepulti enim sumus cum ipso per baptismum in mortem: ut quomodo surrexit
christus a mortuis per gloriam patris ita et nos in novitate vite ambulemus.
Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. ut obedientes maneatis
ei. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Sed
exhibete vos deo tamquam ex mortuis viventes. et membra vestra arma
iustitie deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis sub

Libri. sep. 6844 E
Libri. sep. 6844 E

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 374, 374-3: 1r – Missale (https://fragmentarium.ms/view/page/F-totf/474/6782)